
IL NATURALISTA SICILIANO

De duobus novis hymenopteris Siciliae

Sicilia fauna entomologica locupletissima plura in dies ac nova insecta monstrat, quorum hymenopteri, qui omnium sunt ordo frequentissimus, et tamen minime cognitus, magnum numerum ostendunt.

Nonnulla hodie descripturi sumus, quae nobis maximi momenti videntur, et praesertim novum quoddam genus, quod Hercules Pusateri in agro S. Nicolai (1) a novissimis septembris ad octobris nonas collegit.

Ad genus designandum, hoc insectum, quod ad frequentissimam et variam chalciditarum familiam pertinet, Sternodem (στερνόδης) appellare iuvat magna thoracis amplitudine; ad speciem vero exprimendam, decet illud, in honorem detectoris, nomine Pusateri designari. Hoc genus constituimus novissimum Eucharidarum ordinis. Alterum insectum, quod nobis studio diligenti dignum videtur, a nostro amico atque collega D. J. Riggio inventum, pertinet ad Proctotrypidarum familiam et proprie ad numerum Mymaridarum Hall. Quod si quis antea vidisset, iisdem conditionibus quibus nobis se praebeuit, haud dubium est quin aliquid de eis disseruisset. At vero, cum nemo scriptorum illorum, quos adhuc novi mentionem fecerit et omnes huius insecti mores ignorent, nova quidem species mihi videtur, atque eam talem esse arbitror quia ex scriptis Westwood, Haliday, Foester, quae huius rei causa legi, nondum definire potui. Parvum insectum, suis tarsis natura ad hanc rem aptissimis, alis posterioribus Mantidis Religiosae adhaeret, ad basim, atque ita axillae adstrictum est ut haud facile evellas. Hoc insectum puto adscribendum generi Ooctono Hal. quod exemplaria quae observare potui, undecim in antennis, quinque in tarsis articulis utuntur. Quartum articulum tarsorum validius reliquis est, eademque longitudinem habet quam tria prima simul sumpta, quintum contra tenue, ac curvum intus, exterius foliacea appendice munitum. Itaque parvis ac robustis pedibus solide exiguis pirata se coniungit corpori gigantis quod est suae progeniei cubicu-

(1) S. Nicolò l'Arena.

lum. Constat autem multos hymenopteros, cum perfectam naturam consecuti sint, tamdiu vivere quoad prolem certam habeant, qua regula minime absunt Proctotrypidae; ita ut Ooctonus, quem specifico nomine Seefelderianum appellamus (1) in Mantide Religiosa tantum consistere censeamus quoad ova pariat. Larva, sine dubio, ut primum ex ovo egressa est victima se nutrit, quae diutius vivere nequit nam prope novissimos septembris dies hi orthopteri deesse incipiunt. Hoc mense Mantes ova pariunt quae saxis aliisque rebus haerentia inveniuntur. Haec omnia, ut nidi aliaque procreationis signa auctorum obitum ostendunt, ita etiam Mantium mortem nuntiant. Gravi orthoptero mortuo et forsitan antequam evanuerit, larvam Ooctoni, quae haud absurdum est quin adipe victimae creverit, perfectionem attigisse arbitror. Idem est de aliis parasitis, qui, victimis relictis, bombycynum loco abscondito neunt, ubi manent ab hieme incolumes usque ad novam aetatem ut vicem suam a natura constitutam renovent.

Sternodes n. g.

Parvum caput et compressum, ocelli recte in vertice dispositi. Sulcum frontale profundum, antennae breves, fractae ex decem articulis. Thorax validus, scutum mesothoracis valde reductum, scutellum latum conii instar, retro super abdomen productum.

Femora postica latissima. Abdomen sessile, cordiforme, postice rotundatum, depressum anteriorum segmentorum tergum, venter convexus atque carinatus.

Ovopositor brevis e ventris segmentis exit.

Sternodes Pusateri

♀ Lutea. Corpus validum, punctatum, brevi lanugine argentea indutum. Capitis interpunctiones subtiliores quam thoracis ubi asperae sunt; abdomen levigatum. Caput prothorace minus, compressum; antennae basi frontalis sulci insertae cuius pars inferior nigra ut vertex est. Scapus clavaeque extremitas lutea, clava quae in conum desinit picea. Antennae

(1) Dedico questa specie al Cav. G. Seefelder, Direttore della Ferrovia Palermo-Trapani in omaggio alle agevolazioni che egli mi ha accordato in questa linea per escursioni scientifiche.

ex decem articulis, quorum octo ad validam clavam pertinent, unum ad filiformem scapum, decimum latum ac suppletivum inter scapum et clavam, cuius articulis magis exiguum est. Mandibularum extremitas picea. Thorax amplius, prothorax, cuius margo posterior insertionem alarum attingit, valde evolutum, scutellum mesothoracis cuneiforme, retro super abdomen productum. Extremum eius obtruncatum est et in medio laeviter excavatum, ita ut latera duos acutos dentes effingant. Scutum pronoti et duae amplae maculae oblongae in lateribus nigra, nigrum mesothorax. Scutellum cum basi lutea, sed tergo et reliquis partibus nigris. Mesothorax, epimeri et thorax nigra. Pedes lutei, alae piceae cum basi hyalina, stigmata ferruginea. Abdomen parvum, cordiforme, ante in tergo depressum, postice rotundatum et latius parte anteriore. Macula obscura medium fere tergi et segmenta ventris in media parte exornat, venter convexus et paullum carinatus.

Long. 0.3 mm.

Ooctonus Seefelderianus n. sp

♂ Parvi, nigri, picei, depressi, subtilissime punctati, paucis pilis asperis atque subnigris induti. Caput prothorace maius, os, antennae, vultus ferruginea luteiscentia, antennae claviformes, asperis pilis ornatae, mandibularum extremitas nigra. Ocelli trianguli in forma dispositi. Thorax ante lator. Scutellum levigatum, lucidum, alae in ♂ brevissimae, truncatae, mediam fere partem thoracis attingentes, luteae: sparsis, brevibus atque spinosis pilis ornatae. Alae in ♀ invisibiles (1). Pedes validi, lutei ferruginei, tibiae in costa externa serratae, aspris subnigris deorsum curvis pilis; extremitas inferior curva spina munita. Spina in tibiis anterioribus instar S. incurvatur: quartum articulum tarsorum fortius reliquis est, primo secundo, tertioque aequale, quintum contra tenue ac intus curvum, in medio costae externae foliacea appendice munitum. Unguicula parva exterius incurvata. Abdomen fusiforme, medium ventris et dua ultima segmenta luteiscentia.

Long. 0.04 mm.

T. DE STEFANI.